



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

CLAUDIO ARCHIEPISCOPO GUGEROTTI

Venerabili Fratri
CLAUDIO GUGEROTTI
Archiepiscopo titulo Rebellensi
Dicasterii pro Ecclesiis Orientalibus Praefecto

Quae Dei benignitatem extollit, Filium suum indesinenter viam salutis monstrans populo, qui in aerumnis et cotidianis frustrationibus ad eam fidenter confugit ac de tribulationibus clamans exauditur, Matrem misericordiae veneremur et Reginam pacis, quia nobis genuit Iesum Christum, visibilem misericordiam invisibilis Dei miserentis, qui, illa intercedente, ad preces filiorum semper inclinata, Ecclesiae et humanae familiae sua gratia nostram ditet paupertatem, sua virtute nostram roboret infirmitatem, spiritum largiens caritatis, unitatis dona, optatae tranquillitatis nostris temporibus nutrimentum (cfr *Collectio Missarum BMV*, 39: *Sancta Maria, Regina et Mater misericordiae*, praef.).

Qua in Deo sustentati spe tantoque devotionis innisi consilio, potissimum laetamur de XXV anniversaria memoria ab incoronatione sacrae imaginis Beatae Mariae Virginis Iesum infantem ostendentis in vetere Sanctuario Nationali Budslaviae asservatae. Venerabilis Fratris Alexii Butkevich, Episcopi Vitebscensis atque Conferentiae Episcoporum Catholicorum Bielorussiae Praesidis, humanissimae proinde petitioni concedere volumus, ut ecclesiasticus vir quidam, Nostras vices ibi gerens, erga dilectissimum gregem dominicum in sollemniis pro tanta occasione propediem celebrandis proximitatem Nostram manifestet, praesentia ac verbo suo illam fidelium coadunatam communitatem exornans.

Libenter igitur Te, Venerabilis Frater, qui cotidiano in Nostro ministerio exercendo validum Nobis

praestas auxilium in Dicasterio pro Ecclesiis Orientalibus ac praecipuas Ecclesiae, quae est in Bielorussia, optime comperis necessitates, ad hoc munus obeundum elegimus et, hisce Litteris, Missum Extraordinarium Nostrum nominamus ad dicta sollemnia, quae inter proximos dies XXX mensis Iunii et I mensis Iulii Budslaviae celebrabuntur.

Libenter tibi potestatem facimus, dum celebrationibus praesidebis, clerum, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos cohorteris, ut, Beata Virgine Maria advocata gratiae maternam suam caritatem dispensante, et ipsi dispensent misericordiam et pacem, quam de Domino experiuntur.

Dum tibi, Venerabilis Frater, Benedictionem impertimur omnibus, qui celebrationi intererunt, transmittendam, legationem tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter obsecrantes, ut de huius Conventus navitate, Episcoporum moderatione, fructus carpant fideles multiplicis caritatis.

Simul, insuper, gravissimum Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus universi coetus ibi congregati.

Datum Romae, Laterani, die XXVII mensis Maii, anno Domini MMXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

FRANCISCUS